

P V I S



1 6 0 3

10.

DISPUTATIO GRAM-
MATICÆ

DE INTERPRE-
TATIONE GRÆCO-
RVM VERBORVM,

ACT. III.

Ἰησοῦ χριστοῦ ὅρ δ' ἔ' οὐρανῶν δ' ἔξασθ.

COMPLECTENS ἱστορίαν RESPONSIO-
nis, qua Collegium Theologicum Academiae VVites-
bergensis uti posset ad Chartam de his verbis superis
oribus diebus editam, cui nomen est
præscriptum

D. NICOLAI SEL-
NECCERI &c.

L.

Aucta & recognita,

IOH. I.

VENI ET VIDE.

VVITEBERGAE

Exprimebat Iohannes Schwertel.

ANNO M. D. LXXI.

Reuerendo ac Doctissimo viro
D. M. Abrahamo Superinten-
denti Ecclesiarum Anhaltinæ
venerabilissimo, Pno & amico



DISSERTATIO GRÆCÆ

MATHESIS

DE INTERPRE-
TATIONE GRÆCÆ
RVM VERBORVM

ACTU III

1773

COMPLECTENS MATHESIS
OMNIA QUAÛ COLLEGIUM THEOLOGICUM ACADEMIÆ VITÆ
POTENTIS IN POSSESSORIO CHANTON DE HIS VITIIS LUPENSIS
CENSURIS DICAS EDIDIT, CUI NOMEN EST
PRELUMINUM

D. NICOLAI SEI-
NECCERI

Acta & recognita

VOL. I

VENIT VIDE

WITTEBERGÆ

Expensis Johannis Schenckii

MDCCLXXIII

*Reverendo ac Doctissimo Viro
D. M. Christophoro Schenckio
Vitiensi Ecclesiarum
Pastori*





TENET INSANABILE MULTOS,
scribendi Cacoethes: quo morbo se etiam
laborare ostendit amicus noster, qui
nuper chartam edidit de verbis Luc. Act.
3. expressam Henricopoli, sicut est ad-
scriptum, ad Guelphorum arcem, Quae
huc est allata eo ipso die, quo ante an-
num publicè in hac Academia Theologiae Doctor est re-
nunciatus, & veritati & Collegio fidem iuratam dedit, ob-
ligatus & huic, & Academiae, atque his etiam terris, & Prin-
cipi harum, antea, eo modo quo scit. Sed hoc uno anno
tribus scriptis, contra existimationem & dignitatem nos-
tram, & quietem publicam editis, demonstravit, se eor-
um, quae debet, minus meminisse, & pertulimus pri-
mam, etiam alteram iniuriam, patienter, & dissimula-
uimus iustissimum dolorem nostrum, Nunc cum
tertium hoc facit, non debemus eum male docere ampli-
us patientia vel lentitudine potius nostra, idque non tam
nostra quam rei Ecclesiasticae & publicae causa. Atque de
primo & secundo scripto nihil dicimus in praesentia, de
quibus tamen, si voluerit, explicabimus ei, quam fidem
in illis praestiterit DEO & hominibus, De hoc tantum
tertio quale sit breuiter monebimus.

Edita est in hac Schola à Collegio Theologico su-
perioribus mensibus pio & religioso studio, atque necessa-
rijs etiam de causis, Catechesis Doctrinae Christianae, in
qua repetitur explicatio capitum Christianismi, ijs omni-
no verbis, quae sunt in Corpore Doctrinae, & nullis alijs,
ut nihil sit in toto libello nostrum, praeter operam colli-
gendi & transcribendi atque contrahendi in breuius, quae
alibi prolixè exponuntur.

A 2

Hanc

Hanc occasionem arripuit, in qua se exerceret males-
uolentia, odium, & *πικρία* aduersariorum vel hostium po-
tius huius Scholæ, & veritatis atq; quietis publicæ quo-
rundam, tam Flacianorum, quam aliorum, quos huius
nominis & factionis pudere incipit. Ex his igitur in eam
Catechesin nostram, aliqui furioso impetu tanquam canes
in saxa quibus petuntur, cum latratu, aliqui etiam *λαθροδικ-
ταί* irruerunt, & alius hoc, alius aliud reprehendit,
aliqui cum quid reprehenderent non reperirent, suspen-
ditum tamen hoc & illud reddere interpretando conati
sunt, etiam de suis suspicionibus similes commouere alijs,
ut sicut qui per vitra picta intuentur aliquid, idem vide-
retur alijs quod ipsis. In quo tamen hoc bene cadit, quod
ipsi se produnt, odio nostri & harum terrarum non veri-
tatis studio ullo se facere quicquid faciunt. Quæ enim has-
tenus in libris Corporis Doctrinæ inuadere ausi non
sunt, ea nunc postquam nos transcripta inde edidimus,
inuadere primum incipiunt, cum si pro falsis & pietati
contrarijs habuissent, iam pridem illa in alijs damnare de-
buisent, apparente adhuc *τῷ κέρυθῳ προσώπῳ*. Atq; ita si-
mul quid huius sit, aut alterius, nouum aut vetus, ortho-
doxum aut hæreticum, se neq; scire neq; agnoscere ostens-
dunt, cum tamen iudicium sibi Critici isti sumant de o-
mnibus, quasi censors quidam orbis terrarum, Antiquitatis
etiam piæ & orthodoxæ, & martyrum Christi, in-
quissimi, ut erga nos eos tales esse minus sit nobis dolen-
dum. Aliqui etiam ex accusatoribus illis furiosis compellati
de his, quæ in concionibus publicis aduersus nos de-
clamarunt, negare ausi fuerunt priuatim ea, quorum tora
concio aduersus ipsos testis est, Ita maledicentia illa ipsa se
in hominibus leuissimis & vanissimis refutat, & quid
con-

constantie in alijs ab ipsis expectandum sit, vnumquemq; hoc modo docere possunt. Sed quid domestici & externi alijs fecerint aut faciant, nunc non agitur. In Selneccero autem quomodo $\tau\epsilon\upsilon\delta\alpha\delta\epsilon\lambda\omega\iota\alpha$ nos exerceat, queri necesse habemus, coacti ipsius culpa, cum de homine secus videri amur meriti, & parcere ei cuperemus, si per ipsum liceret. In Catechesi igitur nostra ponitur interrogatio, & responsio quaedam his verbis:

VBI EXTAT CONFIRMATIO ARTICULI de Ascensione Christi ad caelos? Respond.

*Actorum primo describitur historia Ascensionis, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Et Acto. 3. Oportet Christum caelo capi vsq; ad tempora restitutionis omnium. Intelligatur autem ascensio vt sonat litera, & de corpore & corporali locatione. Ascensio fuit visibilis & corporalis, Et semper ita scripsit tota antiquitas, Christum corporali locatione in aliquo loco esse, vbi-
cunq; vult, & Ascensio corporalis facta est sursum.*

Hunc locum arripuit D. Selnecceri censura, atq; ita & criminose & suspiciose aduersus haec disputat, ut iugulum petere videatur eorum, quibus fidem, dilectionem, & venerationem se debere non ignorat, Totam quidem Saxoniam inferiorem contra nos excitare dicitur, colludens cum Flaciano Tribuno vicino, quem classici huius socium habet vel Magistrum etiam. Hoc enim nisi ageret, quae causa ei afferretur edendi publice chartam contra nos cruentam? cum si quid minus ei probaretur in eo scripto, quod communiter a Decano & Collegio Theologorum eius Scholae, cui se debet, editum esse legit, quaerere prius & monere priuatim, & conferre amanter & placide

placide potuisset de eo quo offenderetur, atque auertere periculum & labem à Collegis, & tentare an ad sanitatem reducere potuisset opera sua eos quos errare crederet, Omnia enim experiri prius sapientem decet, inquit ille, quam pugnare incipiat, praesertim ad suos, & consortes fidei, & ad domesticos quasi civile bellum commouere, Neque vero haec Academia educauit ipsum ideo, ut infamaret eam, neque Illustris Princeps noster benignitatem suam in eum & ante contulit, & nunc confert, ut sit qui turbet quietem terris ipsius, Neque ei Principi qui operam ipsius hoc tempore conducit, gratam futuram confidimus hominis, ut lenissime dicamus, temeritatem, ubi de re docebitur: Quem Principem ita nouimus erga Ecclesias harum terrarum affectum, atque ita pacis & quietis publicae amantem, ut si petiuisset Selneccerus, nequaquam grauatum eum huc sumptu etiam suo dimisisset, ad monendum, cauendum, auertendum, ne quid res Ecclesiastica detrimenti caperet. Etsi autem alij alijs de causis ad scribendum eum venire & patrocinandum causae, quam suscepit, perhibent, πάντων γὰρ κακῶν ρίζα ἐστὶ φιλαργυρία, fieri tamen potest ut scientia etiam ψευδώνυμοι inflans hunc necessarium nostrum eò impulerit, ut iudicium sibi sumat de omnibus & aduersus omnes, etiam si ἄνω ποταμῶν ferantur fontes, ut est in prouerbio, Quo autem loco & tempore testari eum de sententia sua oportet, & coram verba facere, minus eum praesenti animo esse deprehenditur. Sed videamus breuiter, quid huius Theologi censura inuadat.

Corruptum clamat interpretando locum Evangelistae, Oportet Christum caelo capi, cum sit in Graeco, ἐν δὲ οὐρανῶν διεξαῶν, & non, ὑπὸ οὐρανῶν διεχθῶναι, aut ἐν δὲ οὐρανῶν

ἡ ἀνάστασις. Christus ut cœlum acciperet oportuit, & hunc non à cœlo capi, capi captiuitatem significare, & loci inclusionem, qualem de Christo cogitare, & cœlo hunc captum esse dicere, profanum sit, rem ad Calvinismum tendere, & Bezam ita esse interpretatum, cuius interpretationem qui sequantur, eos etiam sententiæ ipsius approbatores esse, ideoque subesse sub hoc aliquid, de quo cautor ipse præclarus Ecclesiæ monere ut caueant necesse habuerit. Metuit nimirum iste non κατὰ γνώσιν ζηλωτῆς, nisi Christum hominem in cœlum ascendisse, & ibi esse neget, & nisi Ubiquitatis Eutychææ astipulator fiat, Hoc igitur nisi faciat, metuit ne eripiatur Ecclesiæ vera doctrina de Cœna Domini, & de præsentia vera filij Dei in ea cœna, quam ipse instituit, & communicatione vera corporis huius cum ihs, qui hac cœna utuntur. Itaq; articulum fidei de ascensione in cœlum, labefactare, & quantum in ipso est euertere minus dubitat, & Christum verum hominem esse negare, & humanam naturam quòd exuerit affirmare, Cumq; Sacramenta sigilla sint fidei, & articulorum huius, & ad hos confirmandos instituta, & Sacramenta fidei inseruiant, ipse hos conuellere molitur, ut superstitionem profanationem atq; idolatriam Pontificiam in Sacramentis stabiliat. Neq; verò illi Transsubstantiatores tui, qui panem euanescere disputant, tam sunt profani, blasphemæ aut incogitantes, ut propterea in hoc de ascensione Christi fidei articulo quicquam architectentur, sed propterea transsubstantiationē suam introducunt, ne hunc conuellere necesse habeant, aut Eutychæum quicquam admittant. De Sacramento autem Cœnæ Dominicæ in eadem Catechesi, quam infamat censura tua, Ecclesiarum nostrarum confessio planè & disertè est
exposita

exposita, ut cur tibi aut alijs suspiciones fingas, & ὑπεροχῆ
sub his aut illis verbis nostris comminiscaris, causam nul-
lam habeas. Tu verò planam confessionem nostram mita-
tis, & ut existimamus, etiam approbas, non enim con-
tradixisti huic hactenus, & suspicionibus indulges obscu-
ris loco alienissimo, nodum, ut dicitur, in scirpo quæ-
rens. Vt tamen & quàm intempestiua, minimeq; necessa-
ria sit commonefactio tua, atque ieiunæ etiam calumniæ
malevolentia, demonstraretur legentibus, de verbo & sen-
tentia paucis tecum differemus, ut hoc modo aliena, an
orthodoxa sit interpretatio ea, quam inuadit charta tua,
pateat.

Atq; primum hoc testamur ad te, & omnes, qui
hæc legent, nos nulla alia de causa quàm quod in mentem
hæc veniret & non altera, hæc paraphrastica interpreta-
tione vsos fuisse, neq; hæc offendere quenquam aut quic-
quam callidè agere voluisse, Sicut & cum ijs verbis nihil
tale fieri potest, Atq; ita in Catechesi res tota proponitur
& exponitur, ut offendere pium & bonum neminem ea
verba possint, Id quod legentibus iudicandum permitti-
mus. Quod si suspicari de tuis tuicq; similibus suspicioni-
bus talibus potuissemus, omnino studuissemus eas auer-
tere usurpatione eius interpretationis, quæ tibi & tuis ma-
gis fuisset obuia, ne quid esset, quo quisquam offenderet-
tur, cum quàm simus in hac parte diligentes, vt pacem co-
lamus cum omnibus, quantum veritas sinit, te minime la-
teat, Qua de causa & quas iniurias à te & alijs tacentes
pertulerimus, & hodie etiam feramus, similiter te testem
laudare possumus. Sed ad Grammaticam te reuocabi-
mus, quam si non dedignaris, primum hoc negare non
potes, quidquid dicat aut molietur charta tua, hæc verba:

ὅτι

ὅρ δ' εἰ ὄυσανὸρ μὲν δέξαδ' , vtramq; sententiam completi
 ἀμβολογῶς, Id quod & charta tua metuere videtur, Si-
 cut & latinæ versiones tuæ omnes ambiguitatem eandem
 habent, vt quantum in verbis est, liceat δέξαδ' referre ad v-
 trumq;, ὄυσανὸρ & χριστὸρ, & Christus ὄυσανὸρ, & ὄυσανὸς Chri-
 stum debeat δέξαδ'. De verbo autem δέξαδ' an significati-
 onem et vsum huius quantum ad præsentem locum opus
 est intelligamus, etiam de hoc te ne pigeat cognoscere, quid
 didicerimus, vt iudicare possis. Omnino igitur tibi con-
 cedimus hoc verbum ἐνοργητικῶς significare etiam παθη-
 τικῶς prolatū, & docent diserte Grammatici hæc quatuor
 verba, δέχομαι, δεῶμαι, λυτρώμαι, ῥύομαι in passiva diathesi
 si per omnia tempora significare ἐνοργητικῶς, præterq; in a-
 oristis, ἐδέχθη, ἐθεάθη, ἐλυτρώθη, ἐῤῥύθη. Ita igitur in media
 multo magis actiue significant, & est δεξάμενοι ὁ λαβῶν
 etiam Herodoto (et si λαβῶν & δέχεσθαι quomodo discrimi-
 nent Grammatici non ignoramus) & δέχθαι πρὸ ἀνδρα &
 χώρα ἢ μὲν δέξατο. Significat autem & accipere & occupa-
 re aliquid accipiendo, quod cum fit, id quod occupat capi-
 etiam ab eo quod occupat, & quo excipitur oportet, vt
 cum dicitur διάκενα ἀγγεῖα posse δέξασθαι. Vascula inania
 posse capere aliquid quo repleantur atq; occupentur. Ita
 venarum vasa in corpore, quæ sunt φλέβες, δεξαμνάς voca-
 uit Democritus, quod sanguinem capiant, & vehendum
 suscipiant eorū occupentur, & sunt ὑδάτων δοχεῖα aliquibus
 δεξάμεναι. siue piscinæ & colymbetræ, de quo tamen du-
 bitant, siue Nili & Euripi latinorum, vel etiam canales &
 tubi, Suidas autem δεξαμνίω θείων mensam sacram inter-
 pretatur, quæ res sacras capit & excipit. εἰς πλὴν θείων δεξα-
 μνίω ἐκείσιν. Secundum hæc igitur, neq; hoc negamus
 simplicius esse magisq; obuium, si verba spectentur, vt in-
 terpretemur ὅρ δ' εἰ ὄυσανὸρ δέξαδ' quem oportebat cœlum

B

occu-

occupare, quod ut ἀμφοβολῶν tollatur fiet tale: Op^oртеbat,
vt Christus cœlum caperet & occuparet, Altera autem in-
terpretatio cum & ipsa insit in verbis, & in sententia multo
magis, quomodo si ambiguitatem omnem similiter exclu-
dere volumus, alia quam talis fieri potest: Quem oportet
cœlo capi seu recipi? Quæ & sententiam Euangelistæ &
Petri multo melius interpretatur, ideoq; hæc verba παρὸς
κῶς πρὸς φρασεῖν ex Græcis Theologis Gregorius, cui pro-
pter excellentiam inter doctores Ecclesiæ, & rerum diuisi-
narum scientiam eximiam, cognomentum fecit Theologi
Græca Ecclesia, cuius & ita te aliquando studiosum fuisse
meminimus, vt non dubitares hunc explicandum suscipere
æqualibus tuis, neq; sane errasti iudicio, quando hoc fecisti,
& simile nunc etiam tibi optaremus. Huic igitur Magistro
tuo parcere debuisti, qui nostri temporis de Sacramento
controuersias non nouit, & ne somniare quidem
has potuit vir ὀρθοδὸξότατος, Transubstantiationem autem,
& vbiuitatem tuam, si viueret, execraretur, & huius
& Basilij aduersus te, discipulum talem, experireris vehe-
mentiam, quorum ῥῆμα non fuit ἄρηλον, Sed κατὰ γνώσιν
pro gloria Dei & religionis veritate. Quod si tam esses cog-
noscendi vetera quam scribendi tua studiosus (quæ & ti-
bi & rei Ecclesiasticæ fructuosior esset opera) meminisses
quid scribat in oratione secunda de Filio Dei, vt tamen in
memoriam redeas, verba eius ibi sunt hæc: δὲ Ἰησοῦς αὐτὸν
(Χριστόν) βασιλεύειν ἄχρι τῶν αἰώνων, καὶ ὑπὸ ὕδατος δεχθῆναι, ἄχρι χρό-
νων ἀποκαταστάσεως, καὶ πάλιν ἐκ δεξιῶν καθίδησαν ἔχειν, ἕως τῆς
ἀπὸ ἁδρῶν ἐπικρατίσεως. Non dubitauit interpretes etiam
Pontificius hæc reddere, vt verba habent, oportuisse Chris-
tum à cœlo capi, nihil metuens transubstantiationi suo-
rū, cum ne ibi capiatur aliquanto plus intersit rerum Pon-
tificiarum quam tuarum, quod Pontificatus missa idolas-
trica

trica hoc fundamento nitatur, quæ sola res & spes Papatus omnes sustinet. An vero hic etiam Magister tuus tibi de Calvinismo suspectus fieri incipit? quem nos autorem habemus interpretationis eius quam oppugnat charta tua, non alium. Etsi & de nostrorum hominum operis honorificentius aliquanto sentimus, quam illa ipsa charta tua, quos videndum tibi quomodo æquipares, nedum superes, ijs quæ tu in nouum Testamentum moliri te profiteris mandando, Neq; vero dubitamus, te de hac commonefatione nostra mirari, ex antiquitate pia & erudita, et Græcis Theologis esse, qui tam scribat tuis rationibus contraria, cum in charta tua audacissimè scribas, omnium sanorum fidem & conscientiam huic versioni contradicere, & nuper excogitatam vniuersæ antiquitati ignotam esse, & deprauare scripturæ testimonia, & malam esse & impiam &c. Sed audimus te hunc locum Gregorij flagitiosa audacia eludere, cui audaciæ tuæ respondebitur, ita vt meretur, si publicam feceris, priuata enunciari non decet. Magis tamen miraberis, si ostendamus tibi D. Lutherum eandem versionem aliquando secutum, Vt mireris igitur, vide Testamentum Latinum ipsius, & reperies verba controuersie tuæ Lutherum interpretari secundum Gregorianam formulam, his verbis, oportuit Christum cælo suscipi, ita non tantum Antigregorianum, sed etiam Antilutheranum te habebimus, quod tibi ad vulgus multo erit odiosius quam si vniuersæ antiquitati te opponas, Aut saltem nimis morosus & insolens habebis, qui quod Lutherus ferre potuit, id in Gregorio & nobis execreris.

Etsi autem Grammaticam tantum responsionem ad te instituiamus in præsentia, cum res ipsa, de qua controuersia est, talibus chartis, qualis tua & hæc nostra est non possit explicari, Ne tamen autoritate tantum Magistri tui aduersus

B ij sus

sus te vtamur, considera etiam locum totum in Actis, & minus eris iniquus Gregorio & Collegis tuis. Explicat ille & confirmat caput id, quo profitetur Ecclesia in Symbolo Christum de terris & a nobis, vt Lucas scribit, sublatum, ascendisse in caelos, & inde, id est, e caelis quo ascendit non aliunde, venturum esse, seu reuersurum in terras ad iudicandum de viuis & mortuis, sicut Christus ipse de se praedicat Synedrio Iudaico: Ante igitur quam e caelis in terras reuertatur, interea oportuit eum $\delta\upsilon\epsilon\alpha\nu\acute{o}\nu\ \delta\epsilon\acute{\xi}\alpha\delta\eta$, id est, & caelum occupare ascendendo in hoc, & inferendo in hoc humanam naturam suam, quae ibi sedem habet (Nam diuinitas neque caelo, neque terra includitur cum sit infinita) & quod consequens est, caelo capi seu recipi, vt inde quo ascendit ad nos reuertatur & descendat, quem locum autem humana natura Christi occupat, eo & capi ipsam oportet, Nam vt homo locum occupat, ita locus capit hominem, & sicut illud verba, ita hoc sententiam Euangelistae interpretatur, Et quod ibi Petrus dicit & docet, magis explicat haec interpretatio, Dicit enim in caelo eum esse, & locum quem ibi occupauit, & qui ipsum accipit, tenere, $\acute{\alpha}\gamma\iota\ \chi\theta\acute{o}\nu\ \acute{\alpha}\ \pi\acute{o}\kappa\alpha\tau\alpha\sigma\acute{\alpha}\sigma\tau\omega\varsigma\ \pi\acute{\alpha}\nu\tau\omega\upsilon$ & disertè quidem $\acute{\alpha}\gamma\iota$, seu vsque ad id tempus, Tum enim caelo rursus efferet id quod intulit, & quod iam in ipso caelum capit, atque (vt sine ambiguitate dicamus) caelo capitur, humanam scilicet naturam, & ostendet hanc iterum terris, sicut ipse de se praedicat, & pracones angeli, reuersurum eum ita vt ascenderit, vt hostes etiam eius videant quem transfixerunt, Etsi autem in hac etiam vita, caelis apertis vidit ibi Filium hominis astantem ad dexteram Dei Stephanus: Ante tamen hoc tempus quod in terras descensurus sit, aut hoc quod in caelum intulit terris exhibiturus, nusquam scribitur. Ne vero postquam in caelum ascendit nobiscum esse desineret, Spiritum sanctum

etum suum inde in terras eum misisse scribunt Ignatius, & Tertullianus, ut hunc arrabonem haberemus & per hunc nobiscum esset usque ad consummationem seculi, id est, ad tempus hoc reuersionis suae. Transsubstantiatores quidem sacrificuli idolatrae gloriantur se posse Christum in terras reducere in Missa sua, quoties velint, ideoque suum ordinem prestantiorem esse Mariae virgine, quae semel tantum Christum in mundum intulerit, & hi tamen sic etiam caelo esse se detrahare non audent affirmare, ideoque eum ibi esse non negant, & si eo ascendisse Christum negarent, se fidei articulum contra scripturam euertere intelligerent, neque locum eis in Ecclesia amplius concedi posse. Cauent igitur sibi cautores isti minus incaute, quam tu tibi, etsi comminiscuntur aliquid inexplicabile, et transsubstantiationem eiusmodi, quae ad ἀνωτάτω aliquid recidit, cum sic tamen caelitus nouam substantiam creari aut transfundi fingant, Cum his vero dum facere tibi non libet, ne detractio aliqua opus sit, aut in caelo corpus Christi quaerere necesse habes as, humanam naturam Christi ubique esse fingis, quem in caelum ascendisse negare non audes, etsi re negas quod verbis profiteris, Quod autem in caelum intulit, ideo eodem intulit, ut ibi esset & alicubi, cum ubique esse non posset, ne quod est, esse desineret, & ubique esse corporis proprietati est contrarium, neque imbecillitas, sed proprietas corporis. Is autem Christus quem colit Ecclesia ipsius, verus Deus est & verus homo, & vere quidem utrumque, quorum utrum ei detrahatur, desinit esse σωτήρ. Sicut pie scribit is quem tu non magni facis Martyr Christi Vigilius: Hic homo in caelum ascendit, ut ibi sit, ubi & quaeri illum iubet Apostolus, Nam quod ubique est nusquam est, & ne in caelo quidem, & inde, dicit Symbolum, id est, de caelo quo ascendit, & ubi iam est, venturus est seu reuersurus in terras, Sicut enim

ascensione ei opus fuit, ut ibi esset, ubi non erat, ita ut venire inde & reuerti possit, iam in cœlis eum esse oportet, & cœlū occupare, & quod consequens est cœlo capi, quod occupauit, Quomodo enim reuertetur, qui iam adest? & maiestas illa uestra si iam eum præsentem facit, non habebit necesse in terras reuerti, sicut & in cœlum ascensione nō fuisset ei opus si ubiq; atq; ita tum etiam in cœlo fuisset cum tum etiam corpus circumferret glorificatū. Humana autem natura diuinam capere non potest, & diuina cum infinita sit cœlo etiam capi aut includi non potest, sed ubiq; est, ut Psalmus etiam docet, cum sit infinita, (etiam si patre cœlestem Christo docente, & in cœlo Deum esse dicimus, & Spiritum Dei in terras demissum) Humana igitur infinita, non est amplius humana, & quod fuit esse desijt. Secundum uestra igitur, quid de Christo à nobis sublatum in cœlum ascendit? & quid iam de Christo in cœlo est quod inde in terras reuertatur? Sicut habet Symbolum Christianum. Atq; ut vno verbo dicamus omnia, Nisi Christus est in cœlo, nos non ibi erimus. Sicut enim, nisi e morte resurrexisset, nostra nulla esset à morte resurrectio, ita & in cœlū ascensio nulla nisi ipse ascendisset, neq; πολιτευμα nostrum in cœlo esse posset aliquod, & vita ibi æterna, nisi ipse morte sua hoc sibi peperisset, ut ingrederetur in hanc gloriam suam, qua rex fieret, & caput populi sui, & iam esset ipse in cœlo, & inde venturus nos secum eodem extolleret, sicut scriptum est, fecit nos sedere in cœlestibus cum Christo. Nemo enim ascendit in cœlū nisi filius Dei qui descendit, & in cœlum reuertendo ascendit, & qui iam ibi est, & ad nos secum eodem euehendos inde est in terras reuersurus, atq; oportet hoc etiam modo eiusdem formæ nos esse cum imagine filij Dei ut in cœlum ascēdamus & transferamur. Hæc non sunt uerba humanæ sapientiæ, Et si de re non institus

stituimus disputationem in praesentia, & aduersus eos, qui
uero corpore Christum spoliant, & diuinitatem ei affingunt
corporata, corpus ei tribuendo Euty chaeum, quod sit ubique,
et quod consequens est, nullibi, ideoque etiam corpus verum
nullum: Aduersus hos igitur confessionem suam edet Scho-
la nostra peculiari scripto, quod iam sub praelo est, quo si-
mul tuae etiam chartae rationibus de hac re & testimonijs
respondebitur. Cur autem caelo inuides hanc gloriam quod
iam Christum habeat? cum nubi te hanc permittere & con-
cedere oporteat ei de qua scribitur quod Christum susce-
perit, Luc. 1. καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτόν, quae enim nubes est
suscepit ab eadem & susceptus & detentus fuit, & oportet
bit te ferre ut dicamus, de eo loco, factum tum fuisse, ut
Christus nube acciperetur, caperetur, susciperetur nisi te
vincere impudentia velis et historiam ascensionis euertere, Etsi
quid dicas, facias, aias, neges, non videris videre, nube ob-
ducta oculis tuis ea quam Poeta vetus obduci scribit hys, qui
Deum iratum habent, ἵν' εἰδῶσι μηδὲν ὦν ἁμαρτάνουσι, Si vides
tamen, tanto grauius iudicium tibi accersis. Sicut autem res
& sententia, ita notae etiam rerum verba, interpretationi &
paraphrasi ei quam Gregorius usurpat & nos secuti sumus,
minime repugnant, Is enim Christus qui est terris καὶ ἀφ'
ὑμῶν sublatus, in caelum ascendit ἀναληφθεὶς εἰς τὸν οὐρανόν,
& ut verus homo caelum occupat, caelo etiam capitur
& continetur & de quo fieri oportuit ut caelum occupa-
ret, is etiam oportet, ut caelo capiatur seu recipiatur,
& caelum sit huius δοχεῖον seu δεξάμενον. Ante etiam quam
in terras de caelo reuertatur, caelum ut prius occupet,
& interea eum hoc capi seu recipi oportet, ἀχρι χροῶν ἀ-
ποκαταστάσεως, ut diximus, Tantum enim de his rebus
scriptura nos docet, & secundum hanc ita de his verba nos
facere

facere oportet, non aliter, Quod idem nobiscum dicunt omnes illi, quorum testimonia aduersus nos admodum incogitanter adducit charta tua. Si enim Christus non est tropice aut allegorice in coelo, sed re uera, si coelum suscipit, excipit, occupat re uera, etiam re & ueritate coelo eum capi oportet. Capi autem cum Christum coelo dicimus, latine loquimur, non carcere detineri districtum eum & alligatum ibi significantes, sed quod locus ille eum capiat, cum in coelum e terris ascenderit, & inde sit in terras reuersurus, sicut cum dicimus vna in domo capi familiam, quae libera est, Et similia, Audimus enim vos homines suaves & facetos in peruersa interpretatione uerbi huius risum captare non valde ridiculum ad nos exagitandos.

Ex his omnibus statuere iam tibi in promptu est, quid illa Gregoriana interpretatio, qua nos vsi sumus, & quam inclementissime ἀναθεματίζε charta tua praeter altera praestet, Explicat sententiam Euangelistae & Apostoli multo quam altera euidentius, Eutycharum blasphemias refutat, Christum uerum hominem esse demonstrat, et uere in caelos ascendisse, & uere eum ibi esse & degere, ut inde ad nos eodem uehens reuertatur, & caetera, Qualis cum sit, oramus te ut cum bona gratia tua hac uti nobis liceat, aut si hoc non potes largiri, ne reprehendas saltem quod factum est a nobis animo simplice, qui neminem offendere uoluimus, Sicut nos etiam non reprehendimus eam, qua tu uteris, cum sit orthodoxa utraque. Si tamen omnino te offendit Gregoriana interpretatio, quietis publicae causa non utemur ea amplius, dum modo de re nulla sit inter nos controversia, & hoc modo te habeamus aequiorem nobis & rebus nostris, cum per se etiam λογομαχία in Ecclesia turbare non debeant. Quae tamen in disputationem de interpretatione uerborum Lucae tuam inferens, aliena sunt omnia, quae

quædam aut fidei Christianæ aut Symbolis huius, vt uides, contraria. Quod restat igitur pro affectione erga te optima nostra, qua te secus merente in complectimur, oramus te, in primis propter veritatem Christianam, & Ecclesiæ quietem, atq; per tuam etiam salutem & dignitatem, te & oramus & hortamur ne attentas neq; conuellas ea, quæ sunt in Symbolis nostris Christianis de ascensione Christi in cœlum, & reuersione huius inde & non aliunde in terras, Neq; enim te facere hoc feret Ecclesia, cum omnium orthodoxorum & semper fuerit, & nunc etiam hac de re sit *μία καὶ δία καὶ ἑνὴν ἑνὴν*. Et de Sacramentis ne sic differas, vt articulos fidei euertas, cum per hæc fides stabiliatur & confirmetur. Nostra autem de venerabili Sacramento Cœnæ Domini doctrina & confessio ante oculos est, & in manibus omnium, qua vna & eadem vtuntur harum terrarum Ecclesiæ iam inde ab initio instauratæ veritatis Euangelicæ, quæ & in Catechesi nostra iisdem verbis, quæ Præceptores nostri nobis præscripserunt, repetita est, à qua & non sumus, Deo iuuante, recessuri. Pone suspensiones, quæ peccatum habent, quas & caritas Christiana non usurpat neq; admittit, Et, cum domum habeas, noli habitare in alterius corde aut capite, sicut ille dicit in Comoedia, Neq; sumas tibi, vt, quo consilio hoc aut illud hic aut iste faciat aut dicat, pronuncies, atq; ita de suspensionibus tuis insimulationes ne texas, & in uulgus spargas contra caput & vitam innocentissimorum hominum & amicorum tuorum, & multarum regionum quietem & salutem, Quod tibi non est obuium aut expeditum, ne statim reprehende, abijce, damna in alijs, Dies enim diem docet. Hæc omnia Flacianorum sunt, à quibus te alienum esse ostendisti hæcenus, nisi contagio tibi horum nocuit, *χρονίῳ ὄντι ἐν βασιλείῳ*. Et quod contestationes inculcatæ tuæ præstantur &

C

inter

nterfantur, id moribus & vita exprime atq; repræsentat
ne sint contrariæ ijs quæ facis. Cætera aliâs. Nunc chartam
tuam cum hoc auctario & minime quidem facetam, ta-
men cum corona tibi remittimus. Nostram autem Cate-
chesin prodesse cupimus Ecclesiæ orthodoxæ, & vt confi-
dimus, iam præstat hoc, & præstabit deinceps, Quod nisi
fiat nos ipsi sponte nostra hanc abolebimus, neq; dum à te
aut alijs hoc facere admoneamur rem differemus, Sumus
enim salutis & quietis publicæ non minus quàm tu studio-
si, vel aliquanto etiam magis. Gratulari tamen nobis pos-
sumus, si ita est scripta, vt iniquissima censure malevolentis-
simorū hominum nihil reperiat aliud, ad reprehendendū,
quàm quod notat charta tua, cui bibliopolæ nostri gratiam
confitentur & debent omnino, Notatione enim tua effe-
ctum est, vt omnia exempla distraherentur, quòd vt fit,
vnusquisq; qualis ille liber esset, de quo cōtrouersia extitisset,
cognoscere vellet, atq; ita in pluriū manus ille veniret,
Hoc vt gloriæ Dei & veritatis propagationi seruiat, iterum
optamus, atq; vt fiat Deum oramus per Christum Domi-
num nostrum. Postremo cum bellum denuncies amicis
& inimicis (vtrosq; .n. nominat charta tua) vide ne irrites
aduersus te eos qui immaturis scriptoribus leoninam de-
trahere possunt & solent, quod tuæ etiam existimationis
caussa, quæ nostram simul complectitur, accidere tibi nol-
lemus & te legendo quam scribendo occupari, nunc etiam
rectius esse existimamus, Tutius autem tibi esse tua sponte
intelligis, etiam de nostro exemplo. Neq; te fugit quæ quis
facit alteri idem ab alijs ei expectandum esse, Cum quanto
autem periculo nostro, sine vlla causa, & nos & scripta no-
stra ad omnes infamaris, Scholamq; nostram ad plurimos
suspectam feceris, literis etiam eorum discimus, qui ad suos
huc scribunt ita vehementer, vt hac de causa auocatu-
ros
etiam

etiam eos se minentur, nisi rem aliter se habere didicerint. Et sunt qui dicant te & tui similibus autoribus hoc agi, ut decreta fiant vel etiam iam facta sint, ne ex illis locis Saxoniæ vestræ liberos suos quisq; in Academiam nostram mittat, Quod etsi Deo permittimus, nos tamen etiam inquam necessitatem scribendi à te conijciamur vides, qui nimirum vulgus quoq; docere necesse habebimus, quomodo nobiscum egeris, nisi per te hoc auertatur, De quo & quod facturus sis atq; ad sanitatem reduci te passurus nondum desperauimus, In qua spe nostra & in præsentia sibi temperauit hæc responsio nostra, et differuntur à nobis reliqua. Vbiquitatem autem Eutychem à Collegio antecessorum nostrorum iam pridem damnatam esse, si ignoras, Emissarius huius, tuus necessarius, te docere poterit.

Quoniam autem commodum accidit, ut hæc scriptio in id tempus incideret quo publicum scriptum Academiae de hac re editum est, huic responsioni nostræ adiungi curauimus, quæ die Pentecostes Christianæ Rector Scholæ nostræ proposuit, quod ut de re etiam aliquid breuiter, & non de verbis solis ad te scribatur, legere te cupimus, ut iudices, an analogiæ fidei, & formulis ijs quibus Ecclesia Christi ab initio, id est, iam inde ab eo tempore, quo Christus in cælum sublatus est:

his igitur an nostra doctrina aut vestra sit consentanea.

C 2

Rector

RECTOR ACADE- MIÆ VVITEBERGENSIS.



ANNI sunt 3079. à prima veteris testamenti Pentecoste, quando in monte Sinai Lex promulgata est ὑπὸ λόγῳ διὰ Μωσέως: A prima vero noui testamenti Pentecoste 1537, quando Christus post ascensionem occupato in cælis regno & sacerdotio, Spiritum sanctum visibili specie effudit in Apostolos. Has quasi primitias visibiles regni & sacerdotij Christi, de quibus ipse testatus erat: Nisi uero ad patrem, Spiritus Paracletus non ueniet ad uos, grata memoria læti celebrantes, gratias agamus summo Pontifici & Mediatori nostro, quod uoce & ministerio Euangelij colligit sibi æternam hæreditatem in genere humano, & sanctificat eam Spiritu sancto, tandem resuscitatam à mortuis donaturus uita, luce, iusticia & lætitia æterna. Complectamur autem pia meditatione totam de Ascensione Christi ad cælos, de glorificatione & exaltatione humanæ naturæ in Christo, & de regno eius Spirituali doctrinam, traditam ab Apostolis & totius antiquitatis consensu religiosa cura & fide conseruatam. Dominus noster Iesus Christus, post dulcem quadraginta dierum consuetudinem & commonefactiones uarias ac necessarias inter familiaria colloquia cum Maria matre, Apostolis & uniuerso eius temporis Ecclesiæ cœtu, hac multitudine spectante sed comitante magno agmine resuscitatorum hominum euectus est ex hoc mundo visibili in cælum ad uitam, gloriam & regnum cæleste, ac translatus est visibiliter locatione corporali in cælum, sed ita, ut sit ad dextram Dei patris, hoc est, ut exaltatus in regno & sacerdotio teneat omnipotentem gubernationem unâ cum æterno patre, ad quem post uniuersale iudicium adducet uniuersam Ecclesiam electorum. Voluit autem petere cælum inspectantibus multis, Primum, ut his testimonijs confirmata Ecclesia certò statuere posset, eum non euauisse, aut non esse amissum ut spectrum, Sed illam ipsam naturam humanam assumptam ex uirgine & resuscitatam, eum euexisse in cælum ad dextram patris, ubi ipse caput Electorum

electorum monstrat beatis patrem in clara luce & immediatè. De-
 inde isto visibili triumpho voluit eximere Apostolis somnium de
 regno terreno, & testificari de regno suo cœlesti ac Spirituali, cuius
 incoatio fit in hac vita secundum doctrinam Euangelij. Non extin-
 cta, nec amissa, nec mutata est glorificatione substantia humanæ na-
 turæ ex virgine, nec proprietates, quæ sunt essentiæ, exiit, sed cor-
 pus factum est ex infirmo, passibili & mortali, impassibile, immorta-
 le, agile, litidum, leue, & accessit ingens & ineffabilis gloria, con-
 spectus essentiæ diuinæ, prærogatiua donorum οὐκ ἔστι μεταδόν super-
 rans dona omnium creaturarum, regnum & sacerdotium, ita ut hæc
 persona, quæ est Deus & homo, exaltata in regno & sacerdotio su-
 pra omnes creaturas, sit deinceps secundum utramq; naturam glorio-
 sum caput Ecclesiæ, perficiens omnia in omnibus electis. Hæc dis-
 cernunt inter glorificationem Christi, & aliorum Electorum. Etiam
 alij beati sunt sursum, fruuntur in æterna luce leto conspectu diuini-
 tatis. Sed Christus est sursum ad dextram Dei, collocatus est in ar-
 canam lucem & lætitiã inaccessibilem creaturis, ut regnet equali
 potentia cum patre. Ideo non dicitur tantum glorificatus, sed etiam
 exaltatus. Ac antecellit natura humana Christi in gradu gloriæ, lu-
 cis, potentia, beatitudinis & lætitiæ omnibus creaturis, eo ipso, quod
 hæc massa, quam assumptam ex utero virginis euexit in cœlum, ve-
 rissimè est sociã victoriæ, qua caput serpentis conteritur, quod in
 arcana luce inaccessibili creaturis conspicit essentiã Dei, quod ex-
 altata est ad regnum & sacerdotium æternum. Est enim caput Ec-
 clesiæ secundum utramq; naturã, colligit assiduè Ecclesiã, protegit,
 seruat, liberat, saluat eam, depellit Diabolos & horum organa, assi-
 duè intercedit pro Ecclesiã, sicut Paulus inquit: Semper viuens, ut
 semper interpellet pro eis. Et Nazianzenus ait: προσεύχει ὡς ἄν-
 θρωπος ἔτι καὶ νῦν ὑπὲρ τῆς ἐμῆς σωτηρίας, & multa potenter
 agit, quæ capiti conueniunt. Item, quod vna λατρεία inuocatur &
 colitur hic Dominus noster Iesus Christus Deus & homo, Quod
 adoratur ab angelis & c. Deniq; quod excellentia donorum superat
 dona omnium beatorum, & quod iudicat mundum. Ac de donis te-
 statur Christus ipse. ὅτι γούρ ἀπέσαλερ ὁ θεός, τὰ ἔμματα τῶ

Dei λαλῆ, οὐ γὰρ ἐκ μέτρων δίδωσιν ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα. De do-
nis beatorum Paulus ait ad Ephesios : ἐνὶ δεῦκ ἅσων ἡμῶν ἐδόθη ἡ
χάρις καὶ ἡ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ ἁγίου.

Est autem caput Ecclesiae efficacia, perfectione, merito &
ordine. Efficacia quidem, quia haec persona proprie missa est, ut
immediate per eam colligatur Ecclesia. Haec persona ab initio pro-
fert Euangelium, adest Ecclesiae, seruat ministerium, & immediate
protegit electos contra omnes furores Diaboli. Praeterea haec perso-
na immediate efficax est in credentibus, docet, sustentat & viuificat
sua membra, accendit fidem & consolationem. De hac loquitur
cum inquit : Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra, Pote-
stas, scilicet, colligendi, sanctificandi, potenter protegendi & gloriose
liberandi Ecclesiam, & iudicandi vniuersum genus humanum. Et
Paulus inquit : Ipse est caput Ecclesiae omnia in omnibus perficiens,
Et de defensione quae propria est regni aeterni, testatur CHRIS-
TUS : Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Et si autem haec
efficacia est capitis secundum diuinam naturam, tamen beneficium
est totius personae, sicut reparatio generis humani opus est totius
personae, qualibet natura agente & conferente quod suum est, &
multa sunt ministerio naturae assumpta, ex quibus una fit actio, quae
θεοῦ δεικνύται vocatur, ut in homine cor fons vitae transfundit vitam
in omnia membra corporis, eaque spiritu ex se emisso sibi copulat, ut o-
mnia viuant vita communi : Ita λόγος ἀπαύγασμα αἰterni
patris hauriens vitam ab aeterno patre, viuificat & suam massam in
virgine assumptam & ex eadem massa sua similem Spiritum emit-
tit in credentes, fide sibi insertos, ut in illis accendatur similis lux,
iusticia & vita conformis Deo. Nec ideo confunditur distinctio in-
ter creatorem & creaturam. Nec fit confusio naturarum, aut propri-
etatum naturae utriusque commixtio. Nec discrimen tollitur inter sta-
tum incoationis & consummationis. Perfectione Christus est caput
Ecclesiae : quia est natura Deus, & quia natura humana assumpta su-
perat sapientia, potentia & iusticia omnes creaturas. Merito, quia
Christus Deus & homo est λόγος generis humani, & perfectissima
obedientia sua generi humano redempto à peccato, morte & ira Dei.

et liberato à potestate Diaboli restituit iusticiam et vitam aeternam. Ordine denique, quia ista persona primò missa est ad Ecclesiam, et est praecipua cum propter naturam diuinam ὁμοούσιον καὶ σὺν ἰδιότητι πατρὶ, tum propter excellentiam naturae assumtae, quae dignitate antecellit angelis et omnibus alijs creaturis.

Hanc doctrinam amplexa et professa est orthodoxa Ecclesia omnium temporum, hanc opponamus non solum sophisticae et praestigijs renouantium Eutychetis, Acephalorum, Monophysitarum et Monotheletarum, sed tetriores alios Sabellij, Samosateni, Arrij et Nestorij furores, iam olim Ecclesiae iudicio condemnatos, et retineamus ac credamus verba symboli, sicut sonant sine allegoria. Nec glorificatio nec exaltatio detraxit humanae naturae in Christo substantiales proprietates. Nec idiomata propria diuinæ naturae sunt effusa in naturam humanam, cum essentiales proprietates Dei nihil differant ab essentia diuina communi trium personarum: Sed facta est ἐνωσις ὑποστατικὴ οὐσιώδης καὶ ἀχώριστος καὶ ἀδιάσπαστος, in qua natura quaelibet retinuit suas proprietates citra confusionem. Et oportet in aeternum retineri discrimen inter creatorem et creaturam, inter infinitum et finitum, inter essentiam diuinam ac huius proprietates essentiales, quae ab essentia non differunt, interque χαρακτηριστικὰ ἰδιώματα personarum, et inter dona diuina communicata humanae naturae assumtae non à Patre, nec à Spiritu sancto, sed à solo Filio. Denique, inter ea, quae sunt in Christo propria naturae utriusque, et quae sunt officij ac Mediatoris. Nec hoc discrimine diuellitur ἡ φύσις αὐτῆς ἀσπαστος ἐνωσις, Diuina natura Christi est infinita, Humana finita et circumscripta. Diuina est genita ex essentia Patris ab aeterno, et est ὁμοούσιος Patri, Humanam assumpsit λόγος in utero virginis Mariae. Id sensisse totam antiquitatem Graecam et Latinam, auctorum qui extant consentientia testimonia ostendunt, quorum ex Graeca antiquitate plurima et maximè ἀξιόπιστα repetiunt et conseruauit Theodoretus, qui expressis verbis dicit: τὸ θεῶν οὐκ ὄν σῶμα ἀφ' ἑαυτοῦ ἀνεῖσθαι, καὶ τῆς θεῆς δόξης δεδωξασμένον, σῶμα δ' ὁμῶς ὄν, τὸ πρῶτον ἔχον πρὸ γένεσός. Ac primi Architecti harum nouarum praestigiarum, sicut euidenter demonstrant ipsorum scripta, planè

planè hoc quaesuerunt, ut Christo tribueretur natura, verbo quidem
diuina, sed re ipsa nec $\epsilon\mu\theta\upsilon\sigma\tau\iota\omicron\varsigma$, nec $\sigma\omega\alpha\iota\delta\iota\omicron\varsigma$ $\tau\omega\delta$ $\pi\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma$, sed
essentia inæqualis, & colligata corpori, vel confusa potius cum cor-
pore, sic ut humana sit in diuinam vel conuersa, vel absorpta, & or-
nata tantum quibusdam donis & prærogatiuis diuinis, iuxta Arij et
Eutychetis dogmata inter se confusa. Eò enim tendunt illæ Sophisti-
cæ confusiones naturarum, proprietatum & actionum, contra expres-
sa testimonia scripturæ et grauisima Ecclesiæ rectè sentientis iudicia.

Hos furores tam tetros & blasphemos, quos immani odio hu-
ius scholæ et atroci ausu renouare non verentur partim Flaciani, par-
tim alij, qui quanquam Flaciani esse nolunt, cum illis tamen collu-
dunt, & hoc certamen suum faciunt, fugiamus & execremur: nec
dubitemus Deum permisisse iusto iudicio, ut in hunc angularem la-
pidem impingerent, & omnium veterum hæreticorum exemplo, eliso
cerebro hoc modo pœnas darent turbatæ concordie in Ecclesia, imma-
nium odiorum, & iniustarum calumniarum, & ut occultati diu insidi-
ose conatus ipsorum in conuellenda & euertenda doctrina rectè tra-
dita patefierent. Itaq; nos talium etiam furorum tristibus exemplis
commonefacti, toto pectore reiectis fanaticis & blasphemis delira-
mentis omnibus, alloquamur in inuocatione Mediatorem exaltatum
ad dextram æterni patris, verum Deum & verum hominem, ac pe-
tamus, ut in nos effundat de suo Spiritu, qui in ipsius glorificata mas-
sa humana fulget, & ut per hunc creet in nobis hominem nouum,
factum ad similitudinem Dei, in iusticia & sanctitate vera, & nos
cum ipso filio & æterno patre copulet ad veram & æternam vitam,
iuxta dulcissimas promissiones: Quanto magis dabit pater vester
cœlestis Spiritum sanctum petentibus. Item: Effundam super do-
mum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Effunditur autem Spiri-
tus sanctus per ministerium verbi & Sacramentorum. Quare de
ministerio Ecclesiæ & reuerenter ut sentiatis, & more atq; institu-
to veteri, ut animi reuerentiam externa etiam significatione hodie
ostendatis, offerentes munera vestra ad aram, præcipimus. P. P.
III. Iunij in festo Pentecostes, Anni Iesu Christi 1571.

Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





XIX

10.

SPVTATIO GRAM-
MATICÆ
INTERPRE-
TATIONE GRÆCO
VERBORVM,
ACT. III.

Χριστῶν ὅν δ' ἄδύρα ὅν δ' ἔξαλλ.
STENS ἰθολογίου RESPONSIO
gium Theologicum Academiae VVites
offet ad Chartam de his verbis superis
diebus editam, cui nomen est
præscriptum

NICOLAI SEL-
ECCERI &c.

Aucta & recognita,

IOH. I.

VENI ET VIDE.

VVITEBERGAE

imebat Iohannes Schwertel.

NNO M. D. LXXI.

ado ae Doctissimo Viro
Abrahamo Superint.
Ecclesiarum Anhaltinae
imo, Pno et Amico